

sione feliciter facta, murmurabant dicentes bonum fore processionem iteratam A
 iri die crastina vel sequente. Quo cum querulosam suggestionem audivimus tot
 movisse quod timuimus ne de hac ineptitudine rogaremur, mane ergo crastina
 die missi fuerunt tres de fratribus nostris ad capitulum cathedrale, qui amicis
 sermonibus, aptis rationibus averterent illos moliri petitionem ineptam, honestati
 dissidentem et merito refutandam. Cumque majoribus de capitulo, videlicet de B
 cano, cancellario et quibusdam aliis, secundum quod injunctum nobis fuerat lo-
 queremur, circumspicientes vidimus in parietibus domorum manifesta signa di-
 minutionis Sequanæ. Quibus et illi lætati nobis per omnia consenserunt, et in
 hoc favore reversi gaudebamus per viam nos auxilio Sequanæ compendiosius pe-
 rorasse. Omittere non debemus quod in ipsa die processionis per urbem seminatam C
 est tempus in nocte sequenti mutandum esse in serenum, et cum novilunium
 esset, serenum illud longo tempore duraturum. Hoc forte ab aliquibus astrono-
 mis¹ emanavit, qui opus gratiæ voluerunt attribuere naturæ, beneficium Creatoris
 creaturæ, ut nomen non Dei sed suum cognitione talium exaltarent, nescientes
 quod per eos machinaretur invidia diabuli beneficiis Dei et laudi sanctæ Virginis D
 derogare. Quam sententiam fallaciter disseminatam ita revocavit in irritum Do-
 minus qui dicit *perdam sapientiam sapientum et prudentiam prudentium reprobabo*, ut
 nocte illa et quotidie per tres septimanas sequentes plueret sicut ante, aere quoque
 nubiloso et turbido permanente, Sequana quoque quotidie decrescente donec a
 ripis depulsus et ad solitum coercitus satis haberet medium alveum adquare. E
 Mirabantur omnes super hoc quod abundans pluvia videbatur in aquas fluminis
 effectum habere contrarium, tanquam aqua aquam ebibere et humor humorem
 intenderet desiccare². Hoc opus mirabile vix crederent qui magnalia Dei ratione
 conspiciantur humana, nisi communitas populi per singulos dies illud mirans
 miraculum visus certitudine comprobaret. F

Item miraculum de domino Roberto, fratre regis Franciæ, comite Attrabatensi.

Unus de fratribus regis, Robertus Attrabatensis comes, acutissima febre cor-
 ruptus decumbebat Gonessia, multumque timebatur ne infirmitas illa esset ad
 mortem. Missus ergo Parisius magister Albericus cognomine Cornutus, Carnotensis G
 tunc electus³, ut laboranti juveni succursum perquireret salutarem. Qui veniens
 legationem suam capitulo Parisiensi primo exposuit, rogans eos ex parte regis ut
 processionem suam et omnes alias civitatis ad ecclesiam Sanctæ Genovefæ virginis H
 die certa facerent adunari; acceptaque responsione, sicut dignum erat, favorali,
 statim venit ad ecclesiam nostram et supplicavit nobis cum lacrimis ut doloribus H
 et periculo tam validi juvenis, strenui videlicet et illustris genere, potentia, dig-
 nitate, moribus, audacia, probitate, compati vellemus, et sanitatem ipsius pro-
 cessionali deportatione nostræ sanctæ dominæ comparare. Abbas et seniores nostri
 inter se consilium habentes adjudicaverunt concedendum esse delatæ petitioni,
 dummodo processionem quam petebat procuraret fieri sollempniter, ut decebat. J
 Omnibus rite paratis, et processione facta sollempniter, devote et humiliter cele-
 brata, itum est ad infirmum et inquisitum de statu suo, inventumque jam ipsum
 esse in convalescentia et etiam in bona spe recuperandi plenariam quantocius
 sanitatem. Perscrutantesque diligentius qui processioni affuerant in qua hora
 cepit ei melius esse, agnoverunt quia hora illa erat in qua gloriosa virgo de loco K
 sancto suo fuit mota et pro eo in hymnis et confessionibus suppliciter deportata.
 Nec reor quod immemor fuerit beneficii sanitate indulta; nam postea quodam in
 loco fuimus aliqui ex nobis ubi illi et domino Aufurno* fratri suo, comiti modo
 Pictavensi, narrabantur quædam miracula sanctæ Genovefæ, inter quæ narratum
 fuit et istud. Quo ille audito, statim protestatus est coram omnibus qui aderant, L
 dicens: «Ego sum ille cui Deus hoc miraculum fecit per auxilium gloriosæ vir-
 ginis Genovefæ.»

* Alfonso.

¹ Cod. male austrimis. — ² Cod. disiccare. — ³ Albericus Cornutus anno 1236 exsante electus est.